Viro doctissimo
Gottlieb Cortio
S. P. D.
Petrus Burmannus

Sallustii novam te parare editionem ex actis Lipsiensium nuper didiceram, voluique jam licet ignotum Te adjuvabam, cum eae humanissime scriptae a te literae mihi adferrentur, quae plenissime id quod a me desideras exponunt. Sed neque Sallustius is auctor est, in quo excutiendo prae reliquis ego multum operae et temporis posui, neq in scriniis Heinsianis aliquid in eum notarum aut observationum reperio; in iis enim si quid deprehendo, quod sine famae tanti viri imminutione exire in vulgus possit libentissime cum aliis communico, et ita [illegible] Cl. Drakenborchio et aliis illa aperta fuere. In Bibliotheca nostra publica tres quatuorve MSS. codices sunt, sed omnis

37v

tantum melioris notae, quem in gratiam tuam libentissime confecerem, si temporis et otii penuria non vetaret. Ita enim totos dies me curae variae occupatum tenent, ut saepe vix ad aures scalpendas, ut ajunt, supersit tempus. Ovidius enim, qui jam quinque fere annos me exercuit, operosa admodum editio praecipuum sibi vindicat; cui nuper accessit Valerii Flacci, obscurioris Poetae, cura, qui jam etiam typis describitur. et ne desint quae me sine fine fatigent, Praefationes ad Italiae Thesaurum, tot libros evolvere me cogunt, ut si de singulis aliquid admonere lectores velim, ut nihil subsecivi temporis supersit. his omnibus adde jam molestissimum illud Professoris munus, cujus toties me taedium capit, et quod ~~[illegible]~~ scholis publicis et privatis, interpellationibus discipulorum et peregrinantium molestias infinitas afferre solet. Jam per te existimare poteris, si quid ab homine ita negotiis obruto, jure exspectare possis

si mihi per leges bibliothecae nostrae liceret
vacantis adolescentis alicujus opera in mss. conferendis
uti, brevi confectum tibi negotium darem. sed nulli
codices Ms. ex Bibliotheca domum ferre licet,
nisi Professoribus, qui jurejurando obligantur
ne aliis illorum copiam faciant. et hinc
~~mihi~~, si quid in meum usum ex libris ibi
repositis excerpere velim, omnis ille labor
mihi ipsi est exhauriendus. Peregrinis vero,
si alicujus eruditionis fama sunt celebres, aut
a Professoribus commendantur, facultas aliquando
fit codices Mss. tractandi, sed in ipsa bibliotheca
et custode adstante. vides quae obstant, quo
minus votis tuis prompte satisfaciam. Videbo
tamen, ubi feriae, licet exiguae, circa Natalem
J. C. tempus, a publicis laboribus otium dederint,
an membranaceum illum codicem conferre possim.
nihil tamen audeo polliceri. Vale vir doctissime
et me ama. Leidae a. d. XII Nov. CIↃIↃCCXX

P.S. De J. Fr. Gronovii notis quod addis, vide ut tanti viri famae consulas, et
ne quid temere ex iis publices: sine dubio enim dictatas discipulis olim illas
fuisse suspicor; ita sunt multa sub ejus nomine, ut et Graevii, circumferuntur
misere interpolata. neq in scholis domesticis quae solemus juventuti dictare
ita sunt elaborata, ut publice legi ab omnibus velimus. sed jus tibi facturum
existimabis, quia et Jacobus filius patris sui in Phaedrum, et Abrahamus nepos
avi sui quaedam in Justinum edidit. per me licet. ego vero numquam tale exem-
plum posteris probabo: nam et in Petronium similia habebam. sed sanctior mihi
virorum summorum memoria, quam ut illam aspergam labem. iterum Vale.

Viro doctissimo

Gottlieb Cortio

Lipsiam